

apocrisarium Romano Pontifici fuerint praesentata et ab eo divina auctoritate & Sancti Petri per suas litteras, & palii missione confirmata.

Farlati Illyricum Sacrum T. III. p. 103. Ex libro MSC.: Historia Salonitana major, in Archivio Capituli Spalatensis illo tempore asservato.

VI.

Anno 928.

Leo VI. Pontifex Romanus, Jadrensem, Nonensem, Scardonensem, Absarensem, Arbensem, Spalatensem et Ragusanum Episcopatum in Croatorum terra fuisse attestatur.

Leo Episcopus Servus Servorum Dei Formino sanctae Jadaratensis Ecclesiae Episcopo, & Gregorio sanctae Nonensis Ecclesiae Episcopo, omnibusque Episcopis per Dalmatiam commorantibus dilectis filiis & fidelibus nostris.

Quia gratuita Dei omnipotentis misericordia vos in Episcopali Infula constituit, dignum est ut vestro Metropolitano sanctae Spalatensis Ecclesiae Archiepiscopo summam reverentiam exhibere delectimini, quatenus per ordinem et normam justitiae gradientes securi et intrepidi, valeatis ad divinam contemplationem pervenire. Nam quid deterius esse cernitur, quam Episcopus proprio Metropolitano inobediens esse, cum scriptum sit in Africano concilio: „Nihil Episcopum praeter conscientiam proprii Metropolitanus aliquid agere debere.“ Et si ita est, cum scimus quia ita est, ut nullus Episcopus debeat proprium suum Metropolitanum ignorare; cur vos Dalmatiarum Episcopi contemptores et quasi per latrocinium alienas Parochias diripientes, usurpatis vobis profanum nomen, quod ab antiquis Patribus vobis ereptum esse cernitur. Unde monemus vos ut omnes Episcopi in propriis limitibus sint contenti. Torminum namque monemus, ita suam parochiam retinere, quemadmodum in antiquis temporibus mansit, similiter Absarensis Ecclesiae Episcopum & Arbitanum atque Ragusitanum, Spalatensem etiam Archiepiscopum in Croatorum terra volumus ut propriam suam Parochiam retineat, quemadmodum antiquitus Salonitana Ecclesia retinebat. Quia non potest Parochia (terminari aut definiri) infra muros civitatis, sed per longinqua spatia terrarum in plebibus et villis et curis et Ecclesiis et in populo antiquitus determinato. Gregorium vero, qui probitate temporis in Croatarum terra Episcopus effectus est, praecipimus in sola Scardonitana Ecclesia tantummodo ministrare, alienas Parochias ei praecipimus nullo modo amplius usurpare; quia si fecerit, sine dubio a nostro Pontificatu excommunicatus manebit. Pallium verò, et usum pallii Joanni sanctae Spalatensis Ecclesiae Archiepiscopo, sicut antiqua consuetudo